

349

347

353

343

358

338

398

298

448

248

Ende

Anfang

ad cuius clivum pro parte dependet, et mirabilibus fossatis per petras et rupes scissas est munita, et spissis altisque muris et turribus est vallata. Ab extra est suburbium, et ad partem suburbii ad clivum montis sunt multae domunculae parvae et tuguriola stupa et calamis et sarmentis factae et luto compactae, et est quasi villula, inhabitantque illam Zigari illi, qui per orbem vagantur, de quibus supra Fol. 80 dictum est. Et omne forum equorum, porcorum, et quidquid tumultuosum est, agitur in illo loco extra urbem, et in urbe est quies et pax, et negotiationes quietae in ea tractantur. In ea urbe est sedes episcopalnis, humilis ecclesia, miser clerus, distractus populus. Ea urbs est in cornu Achajae sita, quae olim Argea dicebatur, et inde Graeci Argivi dicti sunt et imperium Graeciae multo tempore tenuerunt. Ab ea urbe potestiri pedes per Macedoniam usque in Thraciam et Constantinopolim contra aquilonem, contra meridiem autem per fretum Adriaticum in Siciliam, quae antiquiori vocabulo dicitur Trinacria, facili navigatione cum vento prospero devenitur.

Trinacria, quae et Sicilia, est insula magna, et Trinacria dicta secundum Isidem, quasi triquadra, quia in tres quadras divisa. Vel dicitur Trinacria propter tria acra, i. e. promontoria, scilicet Pachinum, Pelorum et Lilybeum. Pelorum promontorium respicit ad aquilonem, sic nominatum a Pelon, gubernatore Hannibalib[us] ibi sepulto. Pachinum vero ad austrum spectat, ab aëris crassitudine dictum. Lilybeum autem occidentem respiciens a civitate ejusdem nominis in eo constructa sic dicitur. Pelorum Poenio monti olim junctum fuit, et tunc non erat insula, sed Italiae pars, terrae motu autem factum est, quod mare intervenit, et Trinacriam ab Italia divisit, exiguo quidem freto, sed multum aestuoso et numquam quieto. Pachinum autem respicit Achajam.

Antiqui dicebant, quod gigas Typhon, filius Titanis, cum provocasset Jovem in certamen, iratus Jupiter cum fulmine prostravit et ad ejus opprimendam superbiam corpori ejus superimposuit Trinacriam perpetuo portandam.

In ea insula sunt montes perpetuis incendiis flammantes, qui sine intermissione ut fornaces ardentes et lapides exustos ejiciunt. Ibi est Aetna, mons celeberrimus in medio insulae, in vertice habens duos hiatus, per quos globi flamarum ascendunt, quos

